

SECTIO II.
DE
FUNDAMENTO FIDEI,
ET ARTICULIS FUNDA-
MENTALIBUS.



I.

Ulla quæstio hodie magis necessaria est, aut expediri digna videtur, quam quæ agit de vero fidei fundamento, & articulis scitu credituq; omnibus hominibus ad salutem consequendam necessariis. Inde enim non tantum hæc, de *Consensu & Dissensu fundamentali*, sed multæ insuper aliæ, de libertate Prophetandi, tolerantia & moderatione, Syncretismo, Schismate item, hæresi, secessione, excommunicatione & similes dependent.

II. Sicut autem in extruendâ domo Architecti cura primaria est, ut fundamentum rectè ponatur, quod nisi solidum sit, & rectè jactum, quicquid superstructum fuerit, mox corruet, quemadmodum Salvator docet, Matth. VII, 24. Ita in Ecclesiâ, quæ Dei domus est, nisi fundamentum benè cognitum & rectè constitutum fuerit, cætera omnia frustra erunt.

III. Certè quantum momenti in cognoscendo fundamento positum sit, inde constat, quod non tantum sine eo rectè cognito & adhibito nemo salvari queat, verum etiam error contra illud commissus hæresis sit, hoc est, tale malum, quod hominem in æternam damnationem præcipitem agere solet, docente Apostolo, Gal. v, 6. Ut igitur damnationem evadere liceat, hæreses omnes atque errores contra fidei fundamentum commissos fugere oportet. Quomodo autem fugies, nisi cognoscas? Et quomodo cognoscas, nisi fundamentum, cui adversantur, perspectum habeas? Et quomodo tandem de Consensu aut Dissensu in fundamento definire quicquam audeas, nisi ante omnia quid fidei fundamentum sit, qui articuli fundamentales, creditu ad salutem necessarii, quomodo ac quibus notis & *критеріями* ab aliis non-fundamentalibus & minus necessariis discernendi, probè compertum habeas?

K

IV. Quare